

Firmiter emplastra cuti adhærent, nec metuendum ab illis, ne loco moveantur. Paratum emplastrum extenditur super corium, vel linteum satis spissum, ex quō figuræ ad imperialis ut plurimū rotunditatem accedentes formantur, quas tamen ratio materiæ serosæ ejusque læsio nunc majores, nunc minores indicat. Ita *Rhodius* l. c. eratum tale magnitudine palmæ, calidè appositum, arctè ligandum commendat.

Formatis taliter emplastris nonnulli adspergunt pulverem cantharidum, quō vigorare eadem volunt; quod non improbandum, cùm attractio fortior requiritur. Omnia tamen probè ponderentur, necesse est, ne gangræna sequatur, qualem adnotat *Riverius* cent. 2. obs. 96.

Impositum parti emplastrum per aliquot horas, sex vel octo tenetur, usque dūm calore suō acri materiam ex altō eduxerit, inque vesicam collegerit: tunc removendum id est. Vesicæ subortæ, serosâ colluvie scatentes, filâ vel acu trajiciendæ, vel forfice aperiendæ, ut serum attractum effluat. Ulcus jam factum per aliquot dies apertum servandum, ut sensim atque sensim derivatio continuetur.

Post apertionem non statim conglutinanda, sed aperta servanda per aliquot dies exulcerata cutis; id quod commode fieri potest, dūm eidem *folium brassicæ* recens, aquâ vel vino maceratum vel butyro illitum, imponitur, frequentius iterando. Succosum enim id est, nitróque naturæ vi aspersum; siccari hinc non sinit ulcus, sed promovet effluvium materiæ morbificæ, juxta *Heurnium* meth. ad *præxin* l. 1. *Henric. ab Heer* obs. 21. carnem bubulam crudam imponit. *Alii* ad conservanda vesicatoria utuntur *ceratô diapalmae*, quō tamen non semper utendum esse, monet ex *Capivaccio Rhodius* in *Septal.* *Aliis* placet imponere *emplastrum de spermate ranarum*, aut aliud *ceratum*, cui pro ratione circumstantiarum modicum de cantharidibus præparatis admisceri potest, ut promptius fluant ulcuscula. Sic ad X. dies aperta servari possunt, magno cum emolumento ægrotantium.

Symptomata cùm vexant ægrotantes, doloréque eosdem afficiunt, suadet *Simon Pauli* in *quadripart. botanic. class. 3. folia plantaginis* applicanda, utpote quæ dolores mitigent, & pustulas arte prolicitas sanent. Divinum deprædicat *Riverius* obs. *communic. 12.* ad do-  
lores.